



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata  
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

Quod anabaptismus ex deo haudquaq[ue] sit

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

# SECVNDVS LIBER

QVOD ANABAPTISMVS EX  
deo haudquaquam sit, & quod non sit  
nisi unus baptismus.

S I M O N.

**V**LTRA horam te hic expecto Ioiada, <sup>I.</sup> TRACT.  
facileq; mihi persuasissim, metu te deter-  
ritum esse, qui reliquis conclusionibus  
parum fideres. IOIADA. Tam  
abest ut de hoc articulo loqui formidem, ut nullus sit  
alius apud me certior. SIMON. Ego uero pro-  
bablo rebaptisationem ex deo esse. IOIADA.

Quibus scripturis? SIMON. Ex cap. 19.  
Actorum, ubi manifeste habetur 12. viros à Ioanne,  
uel in Ioannis baptimate baptizatos, à Paulo in no-  
men Christi rebaptizatos esse. Si licuit post baptismū  
Ioannis, Christi baptismū recipere, cur idem non mul-  
tomagis licet, ut baptismus pontificis baptismo Chri-  
sti cedat? Quemadmodum enim Ephesij illi ignoran-  
tes baptismo Ioannis sunt baptizati, adeoq; à Paulo  
rebaptizati, ita et nos ignorantibus baptismo pontifi-  
cio baptizati sumus. Merito ergo Christi baptismo re-  
baptizabimur. IOIADA. Quantum uerbo-

L I B E R II.

rum loquutus es, tot errores admisisti. Primum, Ephesinos illos perhibes bis esse baptizatos, quod probare non potes. Baptismus enim Ioannis hic non pro qua sed pro doctrina capi debet. SIMON.

Hoc unicum asylum est, quo uos ueritate uicti confugitis, sed non potestis haec uestra scripturis aut ueritate firmare. IOIADA. Ego uero tibi probabo, Baptismū non semper protinctio, quæ fit aqua, accipi, sed pro doctrina potius, Ioannis 1. & 3. Et huius rei certæ sunt notæ, ut Matth. 21. quum Christus pharisæos interrogat, Baptismus Ioannis ex deo sit an ex hominibus; quandoquidem ex deo sit cur ei non credant, per baptismum (ut liquet) doctrinam intelligentes aut testimonium cui fidem habere debuerant.

SIMON. Esto baptismus hoc in loco pro doctrina accipiatur, non tamen consequitur baptismum in Actis apostolorum pro doctrina captum esse. IOIADA.

Nihilominus in hoc nimij fuistis, quod absq; ueritate à nobis dictum perhibuistis, baptismum sæpe pro doctrina captum esse. Sed age, probabimus in Actis quoq; baptismum pro doctrina capi. In decimo octavo capite Actorum Lucas memorat Apollo Iudæum quendam uirum eloquentem, atq; in via domini institutum uenisse Ephesum, docuisseq; diligenter quæ domini sunt, scientem duntaxat baptismum Ioannis. Hic uel cœcis adparet, non de aqua sed de do-

Etrina